



BC



D2451Y

med








W:
SENGUERDIUS P.D:
de Tarantula



G. W. Sc:

*Apud
Graesseckas.*



WOLFERDI SENGUERDII
PHIL. Doct.

TRACTATUS
PHYSICVS

DE


TARANTULA.

IN QUO

Præter ejus descriptionem, effectus veneni Tarantulae, qui hactenus fuerunt occultis qualitatibus adscripti, rationibus naturalibus deducuntur, & illustrantur.



In diversis idem Andreas Lohberg
in terris exfranens
Hamburgo a. d. 15 Junij A. C. abby.
LUGDVNI BAT.
Apud GAASBEECKIOS.
CLO I C LXVIII.





*Nobilissimo, Amplissimo,
Speciosissimo*

D O M I N O,

D. G E R A R D O
BICKER à SWIETEN,

Domino in Svieten: in Camera
rationum Hollandiæ olim Depu-
tato; nunc vero apud Amstelo-
damenses minorum causarum
Judici Delegato; & Supremi Se-
natus Rhenolandici Assessori,

S. P.

Quoties, Vir Amplissi-
me, animo revolvo
beneficia, quibus in-
dies me cumulasti; rubore suf-

A 3 fundor;

fundor, quod quantas Tibi
grates agere velim, mibi soli
non licet; præsertim, si id
unicum tantum, quod in re-
centi memoria adhucdum
est, animo perpendam, quod
fœtum sanc rudem, nulla for-
ma informatum benigne su-
scipisti; & id quod decerat,
auctoritatem nempe, Tuo Pa-
trocinio, Thesibus attulisti; ut
iisdem splendor accederet,
Claritatis Tuæ splendore, præ-
fulsi. Quas Tibi pro tot be-
neficiis grates referam? cui
immortales debeo; Quod Ti-
bi gratitudinis signum offe-
ram? cui me totum debeo:
unicum hoc superesse putavi,
ut primus fludicium fructus
in Tuum gremium reponer-
rem;

rcm; Et id quod à Tua Clari-
tate plendorem accepit, Tibi
inseriberem. Hec igitur, Vir
Nobilissime, leve munuscu-
lum accipe, non quidem re-
rum gravitate acceptum ; sed
materie jucunditate haud in-
gratum : cuius enim melius
Patrocinium imploraret? nisi
ejus, sub quo haec tenus tutum
fuit: cuius præ se ferre nomen
auderet? nisi ejus, cuius Cla-
ritate lucem aspexit: cui me-
lius inseriberem? nisi Tibi
qui me totum Tuum fecit;
hoc ergo peto Tuum facias,
benigna fronte aspicias, & eo
quo offero animo accipias.

*Derotissimus Amplitudinis Tua
cultur*

W O L F E . S E N G U E R D I U S .

*Ad Doctissimum
D O M I N U M
W O L F E R D V M
SENGUERDIUM,*

Phil. Doct.

C U M

*Tractatum Physicum de Ta-
rantula ederet.*



*lara Deum Soboles, Tua
dum vestigia Patris
Assimulare studes, quæ
non arcana Tarenti
Detegis! ostendis qualeis Tarantula saltus
Excitat! & quænam poterit Medicina mederi
Læsis? S E N G V E R D I fortē
Te forte creatum
Annūis,*

Annis, atque Aquilam nun-
 quam generasse Columbam:
 Vive dum felix, multosque ex-
 cresseret per annos,
 Restaura que Tuis, damnum quod
 morte Parentis
 Terra tulit, donis, clari Genita-
 ris Imago.

J. D. A. F.

A S P R E.



PREFATIO.

ravis inter Philosophos
de occultis qualitatibus
agitatur quæstio, que
Doctorum auctoritate,
rationum specie, probacionum
fundamento utrumque satis mu-
nita est: Majoris ego probabilita-
tis rationes judicans quæ pro affir-
mativa sententia adferuntur, in
eandem mihi sententiam cun-
dum, easque admittendas puto.
Non ita tamen, ac si in se & sua
natura essent occultæ, ac propter ea
in nostram cognitionem perveni-
re non possent; sed ut occultas
ratio-

ratione nostra cognitionis; non
quod manifestari coquunt; sed
quod hactenus manifestatae haud
faerint; non ut ignorantia vel
negligentia ansam priebeant; sed
ut calcar potius ad eas manife-
standas addant. Eodem ictus si-
mulo, manifestam conatus fui pro-
ponere Tarantulam, cum sympto-
matibus, Effectis, & Curatione, à
mortuus ejus preventientes; que pro
occultis hactenus fuerunt habita,
at ignota explicata, latentium
inflar conscripta; à nobis vero ut
manifesta propensa.

Occasionem, hunc libellum
edendi, prebit, disputatio mea
publica, quam cum ab omnibus
viderem avide expeti, eandem
in lucem edere, simul cum oratio-
ne mea publica, pretium duximus
tatis

tatis mutanda , addendo necessaria,
corrigendo, penitus declarando , que obscuriora judicabam.



W O L -



WOLF. SENGUERDII
PHIL. DOCT.

TRACTATVS
DE
TARANTULA.

CAPUT I.

Operis distributio, & Tarantula nomina.

In tractatione Tarantula primo considerandum occurrit Nomen; deinde ipsum Objectum: in nomine occurrit. 1. *Origo nominis.* Deinde varia ejus *Synonyma, & Vniuersalia.* In objecto occurrit.

I. De-

1. Descriptio. 2. Divisio. 3. Ffæctus.
4. Effiduum curatio. 5. Duxia qua circa
haec moveri possunt.

Sortitur *Tarantula* nomen à civitate *Tarento*, vel fluvio *Thara*, in Apulia sito, eo quod circa ea loca eorum quotannis magna copia producatur: neque hinc solum in locis reperiuntur Tarantulæ, sed etiam dantur in Calabria & Sicilia, æliquisque mensibus quandoque in campis Romanis apparent, quæ Tarantulæ Apulis simillimæ sunt, excepto quod effectum saltandi producere non valeant: neque pestilentibus Phalangiis Creta insula caret, quæ tamen nulla alia noxia vel malefica animalia fert. Camerar. her. subciv. cent. 3. cap. 97.

Tarantula alio nomine vocantur *Aranei Apuli*, Kerc her. de art. magn. lib. 3. par. 8. cap. 8. *Aranei Lentiginosi*, *Appuli Phalangii*. Mouf. de insect. lib. 2. cap. 12. *Sphalangi*. Camerar. loc. cit.

Dicun-

Dicuntur & Phalangia zacynthi. Älian. lib. 17. de animal. cap. 11. in genere dicitur Phalangium. Plin. hist. nat. lib. 11. cap. 24. & lib. 29. cap. 4.

Si autem negotium accurate consideretur, distinguendum est inter ipsum Phalangium, & Tarantulam, utpote quod Phalangium sit genus, Tarantula vero Phalangii species. Vide & alia ejusdem nomina apud Aldrov. lib. 5. de insect.

C A P. II.

Tarantule descriptio, tempera- mentum & species.

Describuntur Tarantulæ à Plinio lib. 11. nat. hist. cap. 24. Phalangia ex his appellantur, quorum noxii morsus, corpus exiguum, parvum, acuminitum, assultum ingrediens. Sed hæc descriptio non omnibus Tarantularum speciebus applicari potest, cum etiam Tarantulæ dentur quæ assul-

assultim haud ingrediantur, utpote
quæ filia ex arboribus ducant.

Tarantulæ quæ telas texunt ac-
curate describuntur in Camerat.
hor. subcisiꝝ. cent. 3. cap. 97. ubi ex Pe-
tro Bellonio hæc profert. *Phalangia*
sunt insecta parva, admodum pernicioſa,
Araneo paulo majores, octo pedibus pra-
dita, utrumque quatuor, singuli pedes seu
crura quatuor articulis constant, binosque
ungues habent incurvos: bina acutumque
crura anteriora illis data sunt ad progre-
diendum: bina posteriora ad retroceden-
dum; obliqua in terra foramina inibi-
tant, binos pedes alta, quæ retrocedentes
ingredi solent, cibum ita attrahentes,
aditum suorum foraminum stramine mu-
niunt, ne obturentur, sed aperta ma-
neant. Corpore sunt superiore parte ci-
nereo, binis rubentibus maculis, anteriore
dorsi parte, insignito: resupinata autem
nigris maculis notata, conspicuntur, qua
singuli pedes corpori inhaerent, venier fla-
rei. Si quis vero scire cupit, qua parte
noxiæ,

noxii, os intueatur, & binos exiles nigros
aculeos deprehendet, iis similes, quos So-
lopendra obtinet, quibus mordent, atque
cibum retinent: ticas, Araneorum more,
texunt, Muscisque & Papilionibus ve-
scuntur: circiter sexaginta ora ponunt
& pectori adhaerentia fovere solent, pul-
losque exclusos, ventri inherentes, ge-
stant, donec adolescent. Piloſo ſunt cor-
pore: quoniam autem magnitudine diſ-
ferunt, foramina, pro corporum magni-
tudine, excavant, Variare vero inter ſe.
pro insularum diversitate, obſervavimus.
In qua Bellonii deſcriptione, accu-
rate ratione corporis totius in ge-
nere, ratione partium plurimarum
in ſpecie, depingitur quantitas, qua-
litas, nutrimentum, & domicilium
ipſius Tarantulæ; ejusdemque fœ-
tus productio, & educatio fulius de-
claratur; & confirmatur id, de quo
poſtea dicetur, nempe Tarantulas,
non aculeo ut apes ladere, ſed acu-
leo ore contento iectus injicere.

Teim-

Temperamentum Tarantulæ, frigidum, humidum, & phlegmaticum tribui deberi, ac multum humoris eam in se continere, probatur ex eo, quod diu sine alimenti assumptione vivat : sic Aldrov. lib. 1. de serpent. & drac. cap. de rictu serp. refert, Tarantulam viram Roma in intermedio arundinis ad se missam, in ampulla vitrea, dies quinquaginta, sine alimento retinuisse. Quod fieri non potuisset si calidioris & magis siccæ foret naturæ ; cum illa continuò indigeant alimento, ad restaurationem eorum quæ per calorem consumuntur ; quod secus est in iis, quæ frigidioris & phlegmatici sunt temperamenti, cum illa frequenti restauratione non indigeant, quia neque frigidum multum consumit, neque phlegmaticum facile consumi potest.

Species Tarantularum variae sunt, Kircherus in loco citat. sic distinguit, cum

cum ait, est igitur Tarantula è genere Phalangiorum, sive Aranearum, specie multiplex, harum aliae cineracea albis nigriisque maculis, quadam aerso cinerico rubris aut viridibus distinguuntur maculis, nonnullæ mijores mole fibris nigris ex cinereo rubroque emicantibus, aut etiam subinde virgulis undatim per corpus porrectis: de diversis earum speciebus, vide Aldrov. lib. 5. de insest. Et Plin. lib. 29. cap. 4. hist. nat. lib. Moufet. lib. 2. de insect. cap. 12.

C. A. P. III.

Quos, & quomodo ledat Tarantula.

Infectat Tarantula præcipue, rusticos, hortulanos, & quotquot non muniti ocreis & chirothecis sub die dormire coguntur, idque tempore aestivali, nempe mense Junio, Julio & Augusto. nam ut Camerar. horar. subserv. cent. 2. cap. 81, ait,

ait, insectum illud miris modis infensum
est agricolis, cum vel in arando, vel
messis tempore in colligendis fructibus oc-
cupati ruri esse solent: aliis vero tem-
poribus lethale suum virus noxam
inferre nequit; nam teste Aldro-
vand. lib. 5. de insec. cap. 13. Aliquo
anni tempore minime pernitiosa aut exi-
tialis est, vix aliquid nervorum aut vi-
rium ad nocendum habet.

Tarantula ictum injiciendo,
dentibus mordendo, lædit; & vene-
num, dum aperturam rostro vel
dentibus facit, ex ore suo in vulnus
vel ictum immittit, atque sic alteri
communicat: non enim aculeo læ-
dit, ut Aldrov. lib. 1. cap. 10. de quad.
digit. ovip. ait: nisi forte aculeus pro
rostro vel dentibus sumatur: nam
teste Kirchero lib. 3. part. 8. c. 8. de art.
magn. Mordet dentibus, non aculeo ut
apes, et si ictus non nisi pænætura apis esse
videatur. Qui propterea ob suam le-
vitatem interdum vix sentitur, in-
terdum

terdum ne quidem percipitur; sed symptomatibus insequentibus manifestatur.

C A P. IV.

*Natura & Effectus veneni
Tarantula.*

Venenum hoc alterius corpori sic communicatum, quia naturæ tenacis & viscosæ est, non statim manifestatur, sed diu in corpore iacti latitat, ita ut post anni revolutionem à solis fervore agitatum, commotum, & subtilius redditum, suscitatatur, ac vires suas exercere incipiat, inducendo primo bimestri circiter spatio, ante mirabilem effectuum productionem, varios in corpus morbos; dejectionem nempe appetitus, febres ardentes, *ναχεζίαν*, pessimum colorem &c. Kircher. ib. vel ut Älianuſ lib. 17. cap. II. de animal. ait. *Primum enim ut quis morsus sit,*

fit, tetum ejus corpus obtorpedinare, & debilitatum tremore affici, & frigidissimum esse, & vomitum cum convulsione subsequi. &c. similiter Aldrov. lib. 5. de insect. cap. 13. refert, Tarantulae exitialis virus laesus stuporem inducere, genuum labefactionem, domumque universi corporis palatinum.

Potius hæc alios mirabiles & horrendos effectus causat, si quidem alii (verba sunt Matth. in Dioscör. lib. 2. cap. 57.) perpetuo canunt, alii rident, plorant alii, alii clamitant, alii dormiunt, alii vigiliis afficiuntur, plerique vomitionibus laborant, nonnulli saltant, sunt qui sudant, alii tremebundi sunt, quidam pavoribus infestantur, alii alia patiuntur incommoda, suntque phreneticis, lymphaticis, & maniacis similes. Hanc (ut inquit Moufetus de insect. lib. 2. c. 12.) gaudium, alacritudo, motus; illum tristitia, desidia, torpor afficit. Sunt qui Reges se esse arbitrantur, & cunctis imperant: sunt qui captivitatis imaginatione constri-

continguntur, & innervo jactare se fingunt. Dumque ut non una hominum
civetas, ita nec horum insula; sed non
nulli pavidi, taciturni, tremuli; non nulli
audaciores, clam si, constantes sunt.
Hoc scilicet omibus communem, musicis
iusti intentis delectari, et cumque sono ad
gesculationem, choreas, tripudia, ani-
mum corporaque ducere. Similia vide
apud Seelig. de subtil. exere. 185.

Nec hic gradum sisiit veneni vis,
sed huius effectus & alii concomi-
tantur, præterquam enim quod Tar-
antaci ad sonos & saltus propen-
deant, mirum etiam in modum (se-
cundum Kircherum) certis afficiun-
tur coloribus, nam (ut ait ipse lib. 3.
de art. mag. part. 3.c.8.) alii viridem,
flavam atti, nonnulli rubrum colorem
depercunt; max enim ac objectum colora-
tum ipsis gratum occurrit, ita vehe-
mentius desiderio accendantur, ut velut
leones faunici, frequenti mortificatione id
pellent, stringant; deinde ad blandi-
menta

menta devoluti, non secus ac amoris insen-
nia laborantes, hiante ore, expansis bra-
chiis, oculis lachrymantibus, frequentibus
ex imo pectore haustis suspiriis, inteneros
& amoroſos complexus panni colorati ir-
ruentes, ardentissime unionem, & ut ita
loquar identificationem, affectare viden-
tur; quæ omnia Tarantiaci Cappu-
cini historia confirmat Kircherus.

Alii ferramentorum fulgore ma-
xime delectantur, qui musicæ ope-
ra ad saltum ducti, stricto gladio, gla-
diatorum more miras exhibent ge-
ſticationes: sunt & qui ad quie-
tem perduci nequeunt, niſi iþis vas
vitreum aqua plenum concedatur,
quo eosdem fere cum præcedenti
gestus edunt: alii conchas aqua ple-
nas desiderant, intra quas anatum
instar ſeſe gerere ſolent: alii milites
in duello conflictantes exhibent;
quidam Ducem & Gubernatorem
maxima cum pompa agunt: aliqui
Arañeorum instar ex arboribus
pendere

pendere gaudent; quo asse&tu i&cti à Tarantulis ex arboribus fila ducentibus, maxime laborare solent: alii crura, alii terram epilepticorum instar concutiunt.

Effectus jam quidem speciales, quæque omnibus Tarantatis non competit, vidimus; considerandus ergo restat effectus generalis, omnibusque Tarantatis communis, qui ut firmam & certam imaginationem in Tarantatis causat, sic & vobis procul dubio admirationem incutiet; consistit hic effectus in eo, quod talibus Tarantula hominem efficit imaginationibus, qualibus ipsum inhærentem cum mordet inventit; quo sit ut si quis se Regem esse, cogitaverit tunc cum mordetur seu icitur, post talem i&ctum in eadem cogitatione usque perseveret, nec quis facile illi persuaserit, quamvis humilis conditionis homini, quod Regia dignitate non potiatur. Vid. Nicol. Leonic. de animalibus.

C A P . V.

Effectuum curatio.

Affectus nominati & vis morbi, curatur, sanatur, & dissolvitur, cantu, sono instrumentorum musicorum, & vi ipsius musicæ ; ut enim inquit Aldrov. lib. 5. de insect. cap. 13. Tarantatos haud aliter ex ancipiti morbo convalescere videmus, quam si tibicen vel citharista juxta eos, diversos modulos incinat, ut pro veneni qualitate, ita harmonia & audiendi illecebra capti, venenum illud ex intimo corpore dilapsum effundant, aut sensim per venas diffusum dilabatur. Et mirum certe (verba sunt Matth. in diosc. lib. 2. cap. 57.) quam facile hujuscæ veneni vis, musica mulcetur. Quandoquidem (ut equidem attestari possum) auditis lyricis instrumentis, vel tibiarum sono, primo statim occursu icti à Tarantula à languoribus cessant, & in medium tripudiare & saltare incipiunt, tamque

tamque diu rem prosequuntur, ac si sani essent, & nullo unquam tenerentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum quiescant, ac interponant, non multo post tempore in terram concidunt, & ad pristinos redeunt languores: nisi tamdiu indeficiente sonitu saliant, atq; tripudient, donec vencni virus, partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat & discutiatur. Et quod admiratione hic dignum est, nec in indecoros, (ut refert Alex. ab Alex. lib. 2. c. 17.) neque à pulsu citharae dissonos saltus erumpunt: ita ut etiam rudes & ignari, psallendi modos docti in ludo videantur. & ut Moufet. lib. 2. de insect. cap. 12. ait, tam recte saltant, as si choreas noscent, tam eleganter canunt, ac si symphonii assuevissent. Videri possunt de his Aldrov. hist. serp. & Drac. lib. 1. cap. de venen. serp. med. & Kircher. de art. mag. l. 3. part. 8. qui & miro Tarantati exemplo idem confirmat.

Etsi sono instrumentorum musi

B a corum,

corum, & cantu, hæc sanentur ; non tamen quilibet sonus musicus sufficit, sed requiritur sonus proportionatus, quod probat Kircherus *lib. 3. part. 8. cap. 8. quest. 1.* exemplo nobilis cuiusdam Tarentini qui à Tarantula morsus, quod nesciebat, ad extrema suit perductus, sed tandem, cum alicui in mentem veniret eum Tarentismo laborare, advocate musico qui omnis generis modulamina tentabat, ad quorum unum malo illius proportionatum, is qui immotus lecto affixus tenebatur, membra movere, in lecto sedere, internæ delectationis indicia præbere, & cytharædo alacrius personante, in pedes se erigere, & in choreas dissolvi cœpit, atque tandem perfectæ sanitati est restitutus.

Si dissonantia aliqua, vel sonus ipsis non proportionatus, oriatur, maxime ab inconcinno musicæ supplice torquentur, maximisque & into-

intolerabilibus cruciatibus affliguntur; ita ut quantum convenienti sibi cantu delectantur, tantum discordantiâ, & inconvenienti cantu cruciantur.

Cum vero diverso cantu delectentur, diversis symptomatibus laborent, diversas gesticulationes edant diversi Tarantati, sequitur diversitatem veneni admittendam esse in Tarantulis; & ut una Tarantula alteri quasi contrariatur, sic & venenum unius, alterius veneno contrarium dicendum est; quod ibidem Kircherus exemplo Hispani probat, qui cum risu excepisset quæ de Tarantulis dicerentur, voluit ipse ejus rei periculum facere; cur duabus Tarantulis diversi coloris & qualitatis allatis, manui imposuit, & lacescivit, donec vulneraretur ab iis; veneno hinc per corpus diffuso, maximi paroxysmi sequuntur, & advocatis cytharædis, varia harmo-

niarum, genera tentantur, sed quamvis ab aliquibus vehementer instigaretur, ad saltandum compelli non potuit, cum venenum hoc ad saltum concitativum à priori contrario fuerit inhibitum, adeo ut vitam miserime tandem finire debuerit.

Ex diversitate hac veneni Tarantularum, sequitur ad hujus morbi curationem etiam diversos concentus, diversa instrumenta musica, alia atque alia modulamina adhibenda esse. Vide de variis modulaminum generibus, quæ in hoc affectu adhiberi solent, Kircherum *de art. mag. lib. 3. part. 8. cap. 8.* Diversa instrumenta musica in hoc affectu adhiberi, variis exemplis probat Kircherus *ibid. quæst. 2.*

Modulamina hæc proportionata si sint Tarantato, & ipsi etiam Tarantulæ proportionata sunt, & è contra si Tarantulæ proportionata non sint, neque convenient ipsi Tarantato,

rantato, quod & probatur ex eo, quod musici publici qui in pauperum remedium adhibentur, soleant ex Tarantatis ipsius Tarantulæ, ut & loci in quo à Tarantula icti sunt, descriptionem petere, in quo varia harmoniarum & modulaminum genera tentant, & attendunt num Tarantulæ tales, quales ab icto sunt descriptæ ad aliquem harmoniarum sonum moveantur, qua reperta pro signo certo habent, se modulamen verum & certum habere, quo si utantur, infallibilem se curæ effetum consecuturos asseverant.

Præterea probatur idem ex eo, quod venenum hoc, dum Musica mulcetur, in eundem saltum inducat Tarantulam, in quem Tarantatum inducit, atque sic similitudine quadam naturæ, easdem sortiatur vires in homine, quas in ipsa Tarantula habet, & in Tarantula quas in homine exercet. Kirch. *ibid. quæst. 2.*

Neque hoc venenum solos homines ad saltum propensos reddit, sed & alia quoque animalia, sic refert Sennert. lib. 1. pract. p. 2. c. 17. Vespa & Gallum à Tarantula ictum Tarantorum more concinne saltasse.

C A P. VI.

*Quod à Tarantula vita non
dependeat passio Tarantaci,
docetur.*

Haec tenus Nomen, Descriptio-nem, Species, Effectus à mor-su Tarantularum provenientes, horumque Curationem investigavimus; consideranda jam veniunt ea, quæ circa hæc notari possunt, atque primo loco sese offert id quod Kircher. de art. magn. lib. 3. part. 8. cap. 8. quæst. 1. quærit; An à Tarantula vita dependeat vehemens illa Tarantiacipassio?

Sunt

Sunt qui putarint, venenum illud, quod à Tarantula dum mordet alteri communicatur, tantum nocere quamdiu Tarantulæ vita protrahitur, qua igitur extincta, extinguentur omnes passiones & symptomata quæ Tarantatis obvenire solent; atque sic Tarantulam occultam quadam vi, in distans posse agere in Tarantatum.

Dubius fuit hac de re Pomponius, qui (ut Sennert. *præf. med. lib. I. part. 2. cap. 17. ait*) propterea experientiam consulendam volebat, an si Tarantula vel suo fato, vel violenta morte moriatur, venenum non amplius operetur? Dubitamus & nos de illius rei veritate, & negativam sententiam amplectimur, cum modo dicta neque experientiæ, neque veritati consentanea videantur, propter sequentes rationes.

i. Quia Aranei parum vivunt, Card. *de variet. rer. lib. 7. cap. 28. quod*

item Kircherus in loco citato testatur se ab ipsis Apulis percepisse, fuisse ex Tarantulis hujusmodi complures in vitreis vasis à curiosis inclusas, additis iis rebus quibus enutririri solent, neque unquam conservari potuisse, adeo, ut inquit, frigoris impatiencies sunt: cur si passio ipsius vita finiretur, non protraheretur in sequentem annum, cum tamen multi sint quibus eidein per plurimos annos paroxysmi redierint.

2. Ratio est, quod Kircherus ibidem referat, se adfuisse Tarantiaco, qui cum morsum Tarantulæ perciperet, ipsam interfecerat, quod certo sciret, cui tamen symptomata quotannis redire solebant; neque (verba sunt Sennert. Med. pract. lib. I. par. 8. cap. 17.) semel icti uno anno saltem saltant, & alii quidem bis, alii semel, sed saepe per multos annos. Refertque idem Epiphanius Ferdinandus, se novisse mulieres, que usque ad decimum, decimum quintum, decimum septimum, trige-

trigesimum annum saltarent.

3. Consistit in testimonio Jesuitarum, quos Kircherus refert accuratissime in hoc negotium inquisivisse, & testatos esse, de multis sibi constare, qui post occisam Tarantulam per multos adhuc annos illo morbo laborarunt.

4. Omnia animalia veneno noxiam adferentia, venenum in alia corpora diffundunt, quod iis nocet sine dependentia à corpore è quo venenum provenit.

5. Si à vita Tarantulæ passio dependeret, nulli homines ea laborarent, quia ut Kircherus lib. 3. part. 8. cap. 8. ait, post anni revolutionem deinum effectus illi contingunt, cum autem ultra annum Tarantulæ non vivant, illos effectus producere non valerent. Etsi vero passio hæc ab ejus vita non dependeat, tamen ut Kirch. in loco citato profert, cum sic ait, *hoc experientia docet quod si belliola*

*stiola inter mordendum occisa, vulneri
interatur, passionem in icto non fore adeo
vehementem; cuius tamen rei causa non
est, quod aliqua sit à viva Tarantula ve-
neni dependentia; sed quod ipsa Taran-
tula supra plugam suam occisa, proprii
veneni; non secus ac Scorpius plaga sua
intritus, antidotum quoddam sit, vene-
numque proprium per membra diffusum
attractione repeat.*

C A P. VII.

*Quomodo Tarantula horren-
dos illos effectus producat.*

Circa ea quæ in præcedentibus
diximus haud immerito queri
potest, quomodo Tarantula horrendos
illos effectus producat?

Huic quæstioni satisfacere quam
difficile sit, patet ex eo, quod tantæ
eruditionis viri, quales sunt Kirche-
rus, Sennertus, aliquique, huic quæ-
stioni nunquam satisfecerint, sed ad
occultas

occultas qualitas confugiendo, in hoc ignorantiam suam confessi fuerint; ut vero nos hoc negotium, quantum fieri potest manifestum reddamus, Physice explicemus, & sic huic quæstioni satisfaciamus, pauca hæc breviter considerari velim:

Primo, id quod supra pag. 15. & 18. diximus, Tarantulam nempe non aculeo, sed rostro, dentibus vel mox su oris lædere.

Secundo, quod animal hoc maxime sit venenosum, & ut supra fuisse ostendimus, & ex Kirchero aliisque probavimus, locis calidioribus & temporibus ardore solis maxime ardentibus, & flagrantibus ptimario venenosam suam vim exercere; quod & in aliis venenosis sic se habere experientia constat: ratio autem cur venena sic maxime noceant, est; partim quod per calorem venenosa maxime claborentur,

borentur, & attenuentur : partim quod ob sui tenuitatem, & majorem attenuationem, magis penetret ad interiora ejus cui nocuit : idem enim nobis hic dicendum est de calore, quod de igne resert Kircherus *de art. mag. lib. 3. part. 2. cap. 1.* quod scilicet creatus sit ut vim suam penetrativam aliis communicaret, reliqua tenuiora & pura redderet, omnis crassitiei expertia faceret, atque ad sui similem subtilitatem perduceret.

Tertio, quod prout omnes Ara-nei humiditate viscosa abundant, (ut ex telarum textura patet; imo quædam tantam viscositatem in se contineant, ut, teste Kircher. *de art. magn. lib. 3. part. 8. cap. 8. cons. 1. extractum virus adeo tenax sit, ut non in fila tantum cedat indigenis, sed & loco fiduci inserviat) ita & eorum venenum in maxime viscosa & humida substantia consistere, quod & exinde probari potest, cum humidiore ore mordendo,*

mordendo, ictum injicere soleant.

Quarto, non sine probabilitate esse, exiguae illas particulas venenosas, humidæ & viscosæ substantiæ inhærentes, ex Tarantulæ ore, dum dentibus vel rostro ictum injicit, deferri in corpus icti, atque sic alteri hoc venenum communicari, & per ejus corpus diffundi.

Quinto, quod venenum hoc per totum corpus sic diffusum, totum corpus quidem inficiat, præcipue tamen arteriis, nervis, & quidem motoriis, spiritibus in nervis contentis, musculis, cerebro, intimisque fibris venenositatem suam communicet.

Sexto, venenum illud, utpote quod ex animali mobili proveniat, mobilitatem suam retinere; quamvis enim frigida immobiliora sint calidioribus, & ipsa Tarantula sit animal frigidum, tamen est animal valdè mobile, cum particulas calidas,

das, & maxime mobiles in se continet.

Septimo, in Tarantatis phantasiam esse læsam; cum venenum hoc à Tarantula proveniens, vi sua, humores in toto corpore suscitatos in cerebrum elevet; hinc spiritus, postea phantasia iisdem læditur; spirituum denique ope totius corporis humores, juxta conceptas in phantasia species, pro diversitate temperamenti hominum excitantur.

Octavo, non omnes Tarantatos iisdem symptomatibus laborare, sed diversos diversa pati incomoda, pro diversitate Tarantulæ à qua icti sunt, & diversitate temperamenti ipsius Tarantati.

Hisce sic consideratis & præmissis, præcipuos Tarantulæ effectus febres ardentes, *ναχεξία*, pessimus color, immobilitas corporis, saltus, somnus, vigilia, variis gestus, hoc pacto expli-

explicantur, & ex modo dictis deducuntur; nempe cum Tarantula rostro vel dentibus mordendo humido ore lædat, idque priuario locis æstate, & ardore solis magis flagante, hinc sit ut per aperturam ore factam, substantia venenosa, consistens in humido salivoso, ex corpore Tarantulæ, corpori iæti communicetur, quo per totum corpus diffuso, sensim musculos, & nervos, præsertim motorios afficit, & à sole æstivi temporis periodico calore excitatum venenum, propter suam agilitatem & mobilitatem, mobiles spiritus in nervis contentos magis movet, hinc ex sua motione & agitatione, calorem in corde concitat, auget, & præternaturaliter disponit, nrimo calore bilem in vasis cordi proximis contentum putredine afficit, corruptit, & sic febres ardentes inducit, *ναχεγίαν* causat, & præternaturalem colorem efficit. Potest etiam

etiam salivosa & venenosa illa substantia, poros obstruendo, vias claudendo, quo minus calor egredi possit, calorem nimium in corpore causare, bilem putrefacere, atque sic febres ardentes per accidēs causare.

Idem hoc venenum (dum spiritus animales à crebro ad nervos deferruntur) propter suam tenacitatem & viscositatem, inhibet motum illum spirituum, & efficit quo minus illi à cerebro ad nervos deferri possint; quo facto totum *corpus immobile quasi redditur*; cum absque horum spirituum ad nervos in musculos delatione, musculi & nervi se movere nequeant, ex quibus motus corporis dependet,

Interdum hoc venenum spiritibus sese conjungit, & sic alium in nervorum initiis motum efficit, quam natura illius hominis requirit, cur & musculos vellicando, & invenendo saltum in Tarantatum inducit.

. Vel

Vel etiam in cerebrum adscendit venenum, atque ibi ope suæ humiditatis & viscositatis, nervos, qua parte omnes coëunt, obstruit, atque quo minus spiritus animales in organa deferti possint, efficit, & somnum propterea causat.

Potest etiam hoc venenum sua agilitate, & mobilitate efficere, quo minus nervorum, à vaporibus obstructio contingere possit, atque sic viam parando, qua spiritus animales in organa deferri possint, vigiliam causare.

Denique, inducit hoc venenum, varias & miras actiones in Tarantatum, cum pro diversarum Tarantularum natura, venena sint diversa diversos quoque humores ciere possunt: hinc excitata venenosa Tarantulae qualitas, humorum istum, acrem & mordacem sibi consimilem in homine (ex. gr. Cholerico) vehementius excitat, humor autem illatus in cerebrum, phantasiam ad id, ad quod

quod alias inclinat, incitat, & hic harmonioso aëre percussus dilatatusque per omnia membra se diffundit, ea acriter stimulando vellicandoque, unde mox motus humoris excitato conformes, actus inquam indignationis, iræ, furoris, mobilitatis animi, similesque rationalis animi passiones, quæ fulgore ensium evaginatorum, &c. magis concitantur. Kircher. de art. magn. l. 3. part. 8. cap. 8. quest. 4.

C A P. VIII.

*Cur Tarantiaci instrumento
musico ad saltum inci-
tentur?*

Cum supra cap. 5. ex Matth. in
Diosc. l. 2. cap. 57. diximus;
Tarantatos, simul ac sonum instru-
mentorum musicorum audiverint à
languoribus liberari, & in medium
eos tripudiare & saltare, cogitare
quis posset, unde fieret ut Tarantiaci
instru-

instrumento musico ad saltum incitentur?

Hicce cogitationibus satis factus Camerar. in hor. subsci. cent. 2. cap. 81. & ad hæc responsurus ad occultas qualitates refugit, cum sic ait; mira sane ista sunt, neque ratio reddi certa potest, quare venenati illius insecti morsus, aliud remedium non patientur, nisi peculiares concentus, & melodias. Ideoque fatendum est, in instrumentis musicis occultam aliquam vim ad commovendos animos inesse, sicut in phreneticis nonnullis videmus. Aldrov. è contra ait lib. 5. de insect. cap. cura de mors. ab Aran. Remedium palam est ex musica; sed dicit quidem Aldrovandus remedium palam esse, sed non proponit quomodo musica sit remedium, vel potius quomodo musicâ homines ad saltum invitentur.

Antequam nos hujus rei rationem reddamus considerari velim.

Primo, miram soni vim ad assestuum concitationem, & varias actiones.

actiones. Patet hæc ex tympanis & clamoribus bellicis, quibus ad pugnam milites invitantur; nec non in saltatoribus, cantatoribus, & avibus, qui musicis instrumentis, vel aliis cantantibus auditis, vix à saltatione vel cantu se abstinere possunt.

Secundo, sonum fieri cum motu aëris, vel esse ipsum motum aëris,

Tertio, aërem motum, motui suo similem motum indere proximo aëri, & illum remotiorem, & ita simili motu moveri aërem, vel spiritus contentos in corpore ad quod aër impellitur. Aërem autem motu suo, simili motu movere aërem & id in quod impellitur, ex eo patet, quia homo hominem non alia ratione loqui docet: fit enim illud impellendo aërem in discensis auribus contentum, & ita agitando nervos ipsius, quibus motis, simili modo discens movet aërem à se loquendo: unde etiam fit ut oscitante uno alter oscitare incipiat.

Quar-

Quarto, ipsas etiam Tarantulas, sono instrumentorum musicorum, ad saltum incitari, cum ipsum animal sit valde harmonicum; quod probatur 1. Experimento, quod Kircher. de art. magn. lib. 3. part. 8. cap. 8. quest. 2. refert in civitate Andriae in Palatio Ducali coram uno ex Patribus nostris, totaque præterea Aula factum esse. Nam Ducissa loci, ut admirabile naturæ prodigium luculentius patet, Tarantulam data opera inquisitam, concha aqua reserta, atque in ea supra festucam tenuem liberatam imponi mox cytharædum vocari jussit; quæ primo quidem ad sonum cytharae nullum motus dedit vestigium, mox tamen ubi sono humeri proportionato præludere cœpit, bestiola frequenti pedum subsultatione, totiusque corporis agitatione, saltationem non affecavit duntaxat, sed & vere ad numeros harmonicos subsiliendo eam expressisse visa est; cessante quoque cytharedo, cessavit & subsaltare bestiola. 2. Quia idem in

in Tarantulis obtinet, quod in aliis Araneis fit, viscosum nempe hujus humorem, capax soni subjectum esse, quod in aliis Araneis fieri, capite præcedenti ex Kirchero ostendimus.

Quinto, admirandam vim Musicæ in affectibus commovendis, non ab anima nostra dependere, cum hæc immortalis sit; sed à spiritu, qui cum subtilissimus sanguinis vapor sit, admodum mobilis ac tenuis, facile ab harmonice concitato aëre excitatur Kirch. *ibid. cap. I.*

Quibus sic positis huic dubio ita satisfacimus, quod cum affectuum concitatio non ab anima immediate, sed à spiritibus dependeat, & ipsa Tarantula sit animal valde harmonicum, ac propterea etiam venenum ejus quod alteri communicat; sit ut aëre agitato ope instrumenti musici Tarantato proportionati, eadem agitatione venenum Tarantu-

Iæ & spiritus Tarantati agitentur; ex qua agitatione Tarantiaci, propensio ad saltum sequitur; cum vero eadem agitatione initia nervorum Tarantiaci magis magisque vellentur, & dicti spiritus in nervis contenti magis moveantur; ut & musculi, cum nervi ex substantia musculara constent; sit, cum musculi sint instrumenta motui destinata, ut ex agitatione muscularum, fiat motus totius corporis; cum autem Tarantatus propter motum, dolorem minus percipiat, hinc magis magisque in immodicos saltus erumpit. Anima vero hanc concitationem sentiens, pro varia spiritus incitatione, varios affectus quoque inducit, hinc cum spiritus velocioribus motibus concitentur, oritur spirituum rarefactio, ex rarefactione dilatatio, hinc & gaudium & lætitia, ad quam Tarantatus ad saltum incitus, quam maxime propendet: quia

C autem

autem aër eundem motum, quo per
musicum instrumentum movetur,
Tarantato communicat, ad ejusdem
soni saltum haud dissonum propelli-
tur Tarantiacus.

Hic prætermittendum non vide-
tur, quod Kircherus de arte magn. l. 3.
part. 8. cap. 8. cons. 2. ait, veneni nem-
pe qualitatem excitatam statim temporis-
bus, non secus ac omnes insrbes periodicos,
ebullitionem, seu commotionem quandam
humoris causare, humorem autem atte-
nuatum vi veneni in subtilissima quadam
veluti fila inter muscularum ~~Alges~~ ^{mus} ~~pro~~ ^{re}
difflari; qua si ex humorum conditione
talia fuerint, ut facile à sono exirinsecos
harmonice concitentur, ad sonum veluti
proportionatum subjectum, & ipsa mota
vibrissata, muscularis quibus adhærent, cum
vellicatione, tum mordacitate materia in
saltus provocabunt, &c.

. C A P. IX.

*Qua ratione Tarantiaci
saltu sanentur?*

Vellicacione hac muscularum,
quæ mordacitate materiae con-
tingit, in saltus provocatus Taran-
tatus, spes sanitatis ejus affulsit;
saltu enim, ope instrumentorum
musicorum, sanari tantum solet Ta-
rantatus; *ratio autem cur Tarantiacus
saltu sanetur, in eo consistit, quod per
comotionem & vehementem to-
tius corporis agitationem, quæ saltu
efficitur, sanguis incalescit, pori
aperiuntur, venenum illud rarefit,
attenuatur & dispergitur; cum au-
tem agitatio vehemens & diurna
adeo sit, ut sudores Tarantati sibi
contrahant, hinc fit, ut (sicut cap. 5.
diximus) per sudores venenum ejiciatur,
& per cutis poros transeat:
hinc credibile est, fieri posse, si altas*

C 2 radices

radices venenum haud egerit, ut una saltatione Tarantatus sanari possit: è contra si altius penetraverit hoc venenum, crebrâ saltus repetitione, permultos annos factâ, opus est; ut frequenti saltatione venenum magis dissipetur, & sic tandem effectus cesseret.

Posset quis circa hæc scrupulum movere, quod si per sudores venenum ejiciatur, si ergo theriaca, mithridaticum & similia sudorifera adhibeantur etiam sanaretur æger, quod tamen, teste Kirchero, *cap. 8. ibid.* successum habuisse non compertum est.

Sed respondeatur 1. credibile esse ægrum sanatum iri ejusmodi sudoriferis, si satis diu continentur; nam teste Scaligero *de subtil. Exerc. 185.* interea dum musica adhibetur; & in saltum effunduntur Tarantiaci, curantur antidotis.

2. Esse disparitatem inter sudores à saltu

saltu ortos & à medicamentis provocatos, cum medicamenta exiguae illas particulatas, quibus vis inest veneni, non ita commovereant, quam saltu perficitur.

3. Sudoris provocatio non est immediata causa sanationis, sed potius agitatio corporis, qua venenum dispergitur, cui sudor conjungitur.

Posset hic quis cogitare, si agitatio corporis sit causa sanationis ægri; ergo si quolibet cunque modo corpus Tarantiaci agitetur, etiam sanabitur æger, ac propterea non opus erit musica, quare ergo musica non erit remedium quo Tarantiaci sanentur.

Respondetur 1. corpus Tarantiaci agitari non posse sine ope musicæ, cum agitatio veneni sola, plerumque non soleat esse apta, & fatis sufficiens, ut motum corpori inducat, nisi sono harmonico adjuvetur.

2. Musicam requiri, cum sine hujus ope nihil efficias, quia pro-

portio similitudinis in rebus sympathicis fundata est, & in consensu Tarantulæ cum Tarantato constituit.

C A P. X.

*Quod non omnes Tarantiaci
saltu sanabiles sint.*

Et si saltus sit modus quo sanitatem assequitur Tarantatus, non tamen medium infallibile est, cum *non omnes Tarantiaci saltu sanabiles sint*: si enim quis affirmare auderet, omnes Tarantatos musica sanabiles esse, deberet asserere Tarantatos, necdum absoluta cuta morientes, non satis diu saltasse ob magnam veneni copiam: sed hoc haud veritati consentaneum esse videtur, cum dentur qui per 30. 40. annos saltarint, & necdum pristinæ sanitati fuerint restituti; & si certo remedio standum, tot anni non requirerentur: quare puto diversitatem veneni admit-

admittendam, & aliud medicabile, aliud immedicabile esse: Tarantari autem, quibus immedicabilis vis veneni inest, saltu sanabiles non sunt; qui vero à medicabili veneno læsi sunt, mederi, & integræ sanitati restitui possunt, si nempe ope instrumenti musici ad saltum incitentur.

C A P. XI.

Cur Tarantiaci adeo diversis instrumentis musicis sanentur?

Tarantiaci, et si quidem ope instrumenti musici, sibi proportionati ad saltum incitentur; non tamen idem instrumentum, ut omnes prinos ad saltum reddat, aptum est, sed diversi Tarantiaci diversis instrumentis musicis sanantur: hujus rei diversitas petenda est aut ex variorum animalium veneno, aut ex demorum hominum temperamentis. Matth.

in Diosc. lib. 2. cap. 57.

Quod diversitas à Tarantula sit petenda, patet ex eo, quod diversæ Tarantulæ diverso sono ad saltum moveantur, & icti maxime illam harmoniam imitentur, ad quam ad saltandum moventur Tarantulæ à quibus icti sunt, quod constat ex c. 6. cuius rei ratio est, quod venenum Tarantulæ ex similitudine quadam naturæ, easdem vires sortiatur in homine, à Tarantula icto, quas habet in ipsa Tarantula: quare si ad hunc saltum id venenum Tarantulam pronam reddat, ad eundem etiam hominem inducit, si eodem instrumento musico agitetur, ad quod Tarantula agitari potest & propendet.

Quod ex vario hominum temperamento diversitas petenda sit, probat Kirch. quest. 2. loc. cit. Si enim homines sint melancholici, aut Tarantulæ venenum crassius, tympanis

&

& clamoris instrumentis, potius sa-
natur, cum magna vis ad dissipati-
onem crassi & lenti corporis re-
quiratur, cum difficilior in iis sit spi-
rituum dissipatio cum lenta & crassa
propter suam tenacitatem & crassi-
tatem, non facile possiat separari, sine
qua tamen separatione, neque dissi-
pacio, neque per poros egressus fieri
potest: huc etiam pertinet quod
Kircherus in loc. cit. de puella Ta-
rantata refert, quæ non nisi explo-
sione bambardorum, strepita tym-
panorum, & similibus sonis vehe-
mentioribus ad saltum compelli po-
tuit. Si autem homines sint choleri-
ci, subtili & bilioso humore præditæ,
propter majorem spirituum mobi-
litem & tenuitatem, minori sono
curantur: motu enim facile in iis
attenuantur spiritus venenosæ, qui
cum acres sint & mordaces, vellica-
tione sua musculosum genus infe-
stantes vehementer ad saltum alli-
ciant.

C A P. XII.

An Tarantiaci tantopere certis tantum coloribus delectentur?

Retulimus sup. cap. 4. ex Kirch. de art. magn. lib. 3. par. 8. cap. 8. Tarantatos non tantum ad sonos & saltus propendere, sed etiam mirifice certis coloribus affici, de cuius veritate merito quæri posset *an Tarantiaci tantopere certis tantum coloribus delectentur?* Huius quæstioni Kircherus satisfactus, atque ad eam responsurus, supponit Tarantatos simili affici & delectari colore, quem Tarantula præ se ferebat; & hinc addit rationem cur talibus coloribus delectentur, quod uenit Tarantularum diversarum venena, ab insita sibi proprietate videantur icti animum ad eum colorim, quem ipsæ referant, seu quo ipsæ

ipso recreantur, occulto magnetismo, seu cœca quadam natura similitudine inclinare: & ilidem quest. 3. dicit Kircherus: Tarantalam autem certo colore recreari, inde patet, quod in diversis pannis coloratis inseposita id planum appetant, quod ijsis colore consimile fuerit. Ex quo sequitur, quod sicut proprius humor venenosus plantas hujus animalis ad hanc vel illum colorem, ut naturæ sua consentaneum, aut contrarium, gratum aut in gratum inclinat; sic & idem humor mortuus in corpus hominis transfusus, eundem magnetica quadam relatione, & occulta miraque correspondentia præstabit effectum.

Cum vero hæc Kircheri huic negotio minime satisfacere possint, ab eo recedendum, & in contrariam sententiam nobis eundem est, cum rationibus magis consentaneum videatur Tarantatos debere aversari colorem Tarantulæ à qua icti sunt: rationes autem quæ Kirchero opponi

ni possunt hæc breviter adferimus.

Primo, cum incertum sit id, quod supponit, Tarantatos nempe eundem appetere colorem quem Tarantulæ præ se ferunt: videtur quidem id probare *sup. cap. 4.* exemplo Cappuccini, qui maxime afficiebatur colore purpureo togæ Cardinalis Cajetani; sed posset dici ipsum non adeo togâ, quam personâ ipsius, quæ ipsi sancta erat, affici, cum forte putaret se suo morbo possè liberari per illum Cardinalem; cum illius religionis ineruditii homines credere soleant, sacrificulos ipsos ejicere posse diabulos, ac propterea multo magis alios morbo liberare: neque adferri posset ex Kirchero Tarantatum illum tradita ueste se delectasse, quia forte boni quidquam ex sacra ueste sibi ominabatur, sicut multi ex cuculis Dominicanorum aut Franciscanorum levamen morbi

morbis sperant, sic & hic idem sperare posset ex hac veste.

Secundo quia quamvis Tarantati interduum videantur certis delectari & affici coloribus, & circa eos gesticulationes edere, non tamen sequitur eos illis tantum coloribus affici; nisi reliquos ipsos aversari, probetur, quod tamen in nullis auctoribus hoc negotium tractantibus inveni; in quo contrarium ejus potius posset astrui, si enim Tarantiaci reliquos colores aversarentur, se ipsos & reliquos homines aversarentur, cum homines raro sint induti, ejus coloris vestibus, quem Tarantula præ se ferebat: non tamen (quod sciam) compertum est, Tarantatos plurimos homines aversatos fuisse.

Tertio, cum Kircherus ejus rei nullam addat causam, sed tantum ignorantiam suam fateatur, & dicat ab occulto magnetismo, magnetica quadam relatione, & occulta miraque.

que correspondentia sieri, non vide-
tur probabile hoc sieri, cum ille in
omnibus rebus phyticis & caruin
rationibus satis curiosus & peritus, in
hujus rei rationem inquisivisset, nisi
forte ex ignorantia sua laudem affe-
ctare desideraverit.

Quarto, quia si verum esset Ta-
rantatos tantum appetere colorem
Tarantulæ, non opus esset musicis
quærere ex Tarantiacis colorem
Tarantulæ, cum ipsi Tarantati ex
suo appetitu & desiderio ad Taran-
tulæ colorem, satis Tarantulæ co-
lorem indicarent, cum illum tantum
colorum appeterent; ubi tamen ipse
Kircherus *questione 2.* dicit in musicos
ex Tarantatis in Tarantulæ colorem
inquirere.

Quinto, si concedatur Kirchero
Tarantatum illum affectasse colo-
rem togæ purpureæ Cajetani; non
tamen sequitur Tarantatum eo solo
colore delectari, ut enim color pur-
pureus

pureus rarus, & visu gratus est, sic potuit Tarantatus, propter ejus coloris raritatem & gratiam eundem affectasse præ cæteris coloribus.

Sexto, cum Kircherus omnia alia quæ de Tarantulæ effectis dicit, pluribus experimentis & rationibus adstruxerit, hoc autem de coloribus unico tantum, & non certo experimento fundaverit, merito ratione in dubitationis sibi ipsi injecisse videri posset.

Septimo, quia Tarantati potius aversarentur colorē ipsius Tarantulæ à qua icti sunt, cum norint Tarantiaci causam illius mali esse Tarantulas, & solemus aversari ab iis, à quibus noxam tulimus. Quare potius concludimus Tarantatos non affici certis tantum coloribus, neque Tarantulæ colorem eos appetere solum, sed indifferenter, modo hunc modo illum.

C A P. XIII.

Cur solæ Tarantulae in Apulia hosce effectus producant, & non aliae?

Circa ea quæ in præcedentibus de Tarantula retulimus breviter videndum est, unde fiat, *ut solæ Tarantulae in Apulia hosce effectus producant, & non aliae?*

Ratio hujus rei à solo illius regionis calore peti nequit; verum quidem est venena in locis calidioribus maxime vires suas exercere, sed non tantum venena in talibus locis vires exercent, sed etiam eundem in locis frigidioribus effectum sortiuntur; sic venena aliunde ad nos, qui sub aëre frigidiore degimus, allata, nocere, quotidiana experientia arguit: imo quodplus est dantur venena quæ in locis frigidioribus magis nocebunt, quam in calidioribus; cum in locis ardore

ardore solis magis flagrantibus, viæ
melius aperiantur, atque sic vis ve-
neni facilius evaporare potest: præ-
terea magnum discrimen ratione
caloris, in Apulia, campis Romanis
& Sicilia, non datur; ubi tamen solæ
in Apulia hosce effectus producant;
quare potius admittendam puto di-
versitatem specierum inter Taran-
tulas, & dicendum alias carere par-
ticulis illis venenosis, saltum, & alia
symptomata inducentibus; alias ve-
ro, ut Apulienses sunt, easdem in se
particulas venenosas continere; ne-
que est quod quis dicat ejusdem esse
specie, & eadem efficacia pollere
omnes Tarantulas, cum ratione
externæ figuræ sibi invicem similli-
mæ sunt. Experimur enim idem &
in aliis corporibus, quæ etsi externa
figura convenient, diversæ tamen
natuæ sunt. Præterea cum ipsæ
Tarantulæ Apulienses maxime à se
invicem discrepent, ratione colo-
ris,

ris, & præsertim ratione effectuum, cum contrarios sæpe effectus producant; nam ut diximus, aliæ somnum, aliæ è contra vigiliam; hæ motum, lætitiam, calorem, audaciam, risum, saltum, inducunt; illæ vero quietem, tristitiam, frigus, timorem, risum in iactos introducunt; quare ergo non mirum est & alias Tarantulas ab hisce tantum discrepare.

C A P. XIV.

Cur talibus Tarantula hominem efficiat imaginationibus, qualibus ipsum inharentem, cum mordet, invenit?

Vidimus jam breviter quæ circa effectus speciales Tarantulæ moveri possent; restat ut & effectum generalem omnibusque Tarantatis communem obiter videamus:

deamus; consistit autem hic effectus (ut sub fin. cap. 4. retulimus) in eo, quod talibus Tarantula hominem efficit imaginationibus, qualibus ipsum inherentem cum mordet invenit. Circa hunc effectum duo queri possunt:

Primo veritas ejus.

Secundo ratio illius.

Ad primum quod attinet, merito de illius rei veritate dubitare quis possit, cum solus Nicol. Leonicilum effectum recenseat.

Præterea neque facile hic effectus colligi aut probari potest, cum enim Phantasia in Tarantatis læsa sit, non potest ipse Tarantatus, postquam læsus est, judicare, aut pro certo asserere, num idem imaginaretur cum læderetur, quod post acceptum morsum imaginatur: neque alius quispiam hac de re quid asserere potest, cum nullus possit scire quid sibi Tarantatus, antequam læderetur, imaginaretur: imo potius

potius concludendum videtur Tarantatum non idem sibi imaginari post, quod ante acceptum morsum imaginabatur; quia Phantasiâ mediente, præsentia & absentia cognoscimus, seorsim apprehensa componimus, conjuncta dividimus; cum vero Phantasia in Tarantatis læsa sit, neque præsentia, vel absentia, recte cognoscere potest; neque ea quæ externis sensibus percepta fuerant seorsim vel conjunctim, dividere aut componere recte potest; nam propter Phantasiæ læsionem, Æstimativa munus suum exercere non potest; sed in æstimatione rerum quæ externis sensibus, vel Phantasiâ percepta fuerant, errat; notiones boni & mali non recte formando; an objecta convenientia, an vero adversa sint, non recte dijudicando.

Si vero fiat ut in eadem Tarantatus permaneat cogitatione post acceptum


ceptum vulnus, in qua erat cum
læderetur, ad effectus per acci-
dens illud referendum videtur; &
ratio ejus hæc aliquo modo statui
potest: quod venenum id propter
suam tenacitatem & viscositatem
non sinat Phantasiam in alia distra-
hi; sed circa conceptas tum in
Phantasia species, & formatas no-
tiones, Æstimativa munus suum ali-
quo modo exerceat, judicando id
bonum quod cum morderetur ima-
ginabatur, & conjungendo vel di-
videndo, quæ conjugebat vel di-
videbat, cum ictum Tarantula inji-
ceret; cum autem Æstimativa, ea
quæ tum conjugebantur vel divi-
debantur, postea conjungit vel di-
vidit; hinc sit, ut aliud quid piam Ta-
rantato persuadi vix possit, præter
id quod cum læderetur sibi imagi-
nabatur: in eadem autem illa cogi-
tatione perseverat Tarantatus, quia
id quod sibi Tarantatus imaginaba-
tur

70 TRACT. DE TARANT.

tur cum morderetur, ultimum erat,
cujus idea vel notio ipsius menti in-
hærebat, quia autem circa idem, co-
gitationibus suis maxime sit occupa-
tus Tarantiacus, hinc idem memo-
riæ tenacissime iuhæret, atque ex
cadem avelli vix potest.

Deo laus & bonos.

F I N I S.



WOLFERDI SENGUERDIE
PHIL. Doct.

ORATIO
IN AVGVRALIS


DE /

USU ET DIGNITATE
PHILOSOPHIAE.

HABITA

7

In illaſtri Academia Lugd. Eat. 5. Iduum De-
cemb. Ann. 1667. cum Doctoratus gra-
duum in Philosophia folennitez
conſequeretur.





WOLF. SENGUERDII
PHIL. DOCT.

ORATIO IN AVGVRALIS

DE
USU ET DIGNITATE
PHILOSOPHIÆ

IN OMNIBVS ARTIBVS.

Magnifice Domine
Rector,
Nobilissimi, Am-
plissimi, Specta-
tissimi Domini, Prætor;
D Con-

Consules; Scabini; quiq[ue]
huic civitati estis à Consiliis;
& Secretis;
Professores celeberrimi;
Pastores reverendi;
Amici honorandi;
Doctores clarissimi;
Flos juventutis, spes patriæ
maxima, & quotquot ad
hunc aëtum convenistis,
Auditores;

Jure merito prolixius aliquod
more ornate dicentium, à me ex-
spectatis exordium, sed frustra; ut-
pote qui verba ad vos sine procœmio
facturus est: hæc enim permovendi
tantum gratia adhiberi solent;
quid autem & hic permoverem,
cum materiæ nunquam satis laudata
dignitas, & nominis ipsius auctori-
tas tanta sit, ut Vestram facile impe-
tret benignitatem, Vestramque ad
nos

nos audiendum facile permoveat patientiam; cum solum ejus nomen tantas apud multos obtineat vires, ut eo solo superbiant. Unicum hoc exspecto, ut mihi balbutiendo Philosophiæ laudes dicenti, vestra succuratis benignitate.

Tu quæso summe Deus, cæptis nostris fœliciter annue, rore gratiæ Tuæ me irriga, gratuito Tuo auxilio sustenta & corroborata, per dilectum Filium Tuum Christū, Amen.

Ut ab origine Philosophiæ initium faciam, primus ejus auctor, & copiosissima scaturigo est Deus, Opt. Max. Cum enim Deus infinite sit sapiens, omnis sapientiæ produtor & auctor est; Ejus singulari beneficio, illa nobilissimo animali, Dei & terræ filio, plenissime communicata fuit; tum cum plenis adhuc radiis, in ipsa nativitate vir coruscantem Divinam imaginem gereret, antequam lugendo casu se ip-

sum fecisset imbecillitatis exemplum, temporis spolium, lusum fortunæ, mutationis imaginem. Postquam vero cupiditati feneitram parfecit, lateri potius quam cerebro obtemperavit, tenebræ ipsius menti offusæ sunt, ipsaque Philosophia calligare cœpit; interim ut totam vim suam amitteret clementia Creatoris noluit, qui relicta in homine scintillas imaginis suæ, fovit, & excitavit: cum vitam ejus ad tot seculorum decursus protraxit, terrestris hic mundus speculum fuit, in quo æterni & increati mundi pulchritudinem intueretur, vel saltem solerti mentis indagine conjectando æstimaret; tum accuratissime perspexit rerum omnium naturam, vires, motus; cuin etiam admirabilem rerum omnium cœlestium, astrorum nempe & planetarum rotationem; ex quibus Adamum diluvium prædictisse, quorundam opinio fuit. Hinc ab

ab Adamo ad Sethi nepotes Philosophia translata est, qui binas columnas exstruxere, quibus inventa sua astronomica inculpta posteris reliquere. Post hos Noachus Philosophiæ cognitione claruit, utpote qui stirpium & animantium proprietates exploratas habuit, cum pabulum conveniens singulis animalium speciebus in arca dederit. Post Noachum vero, & confusione linguarum, Philosophi magni fuere, Abrahamus, Jacobus, Moses, David, Salomon, & similes Hebræi: hisce autem proxima fuit gens Chaldaea, & Assyria; ab Hebræis ad Ægyptios, & ab his demum ad Græcos propagata fuit Philosophia; illos quos tanquam sapientes venerata est antiquitas venerabilis, Orientales magnam partem fuisse constat, Mercurius, Ægyptius fuit, Zoroaster, Persa, Pherecydes, Syrus: Quare Pythagoras, Democritus,

D 3 Plato,

Plato, sapientiæ fervore incitati, ad exterias, & ut isti vocant, Barbaras gentes se contulerunt, magnasque regiones peragrarunt: quin & ipse Aristoteles multa à Judæo quodam didicisse fertur.

O desiderandas sapientiæ purissimas aquas, quæ à limpidissimo & æterno fonte profluxerunt! O optimam & omni laude dignam hæreditatem, quam à tantis præavis possidemus; tanta vetustate illustrem; tanti à majoribus nostris æstimatam. Hæc est quam Cicero describit, Inventum Deorum; Investigatricem cœlestium; Scrutatricem æternorum: hanc modo vocat Plato, Divinarum humanarumque rerum perceptionem: modo Similitudinem, qua homo Deo, quoad fieri potest similis evadit: interdum vero Meditationem mortis; qua innuebat Philosophiam docere animam à corpore separare, per contemplationem,

tionem, & operationem earum potentiarum, quibus homo à belluis maxime differt. Non mortem intellexit corporis, sed mentis; non qua corpus ab anima sejungitur, sed qua animus contemplando à corpore separatur: Illa vitam eripit; hæc vitium opprimit; illa naturæ vinculum quo corpus animatur, solvit; hæc retundit vim appetitus sensitivi qua carni deservit; illa tradit hominem in sepulcrum, hæc cundem prope facit immortalem; illam cum omnibus communem habemus, hac communi hominum sorti eximimur, à plebe separamur, & quantum in hac vita fieri potest, beati reddimur.

Quare duas Philosophiæ partes constituerunt, Theoreticam, seu Speculativam, & Practicam, seu Activam. Speculativa Dei, Angelorumque naturam explicat, earum rerum causas aperit, quas vulgus

stupet & admiratur: hæc enim re-
zum principia venatur; ortus & in-
teritus indagat; causas ventorum,
imbrium, fulgurum, investigat; ho-
minem se ipsum cognoscere docet;
animæ essentiam, proprietates, sen-
suum rationes scrutatur; animalium
omnium naturam, viæ, figuram-
que rimatur: herbarum, plantarum,
ſtripium, & arborum, vires, sympa-
thias, antipathias inquirit; maximas
res parvis lineis repperit; locorum
intervalla; temporum ambitus; o-
ceani fluxum & refluxum; cœle-
ſtium magnitudines; stellarum mea-
tus; siderum obliqua curricula; solis
annua reverticula; lunæ nascentis
incrementa, senescentis dispendia,
delinquentis obstacula examinat;
præsentia & absentia ſectatur &
afequitur; & per res creatas, quasi
per vestigia inquirit & deprehendit
earum parentem optimum, sapien-
ter, fortiterque onnia conservan-
tein

tem Deum, de quo omnia gratam
samam spargunt.

Ut vero speculativa Philosophia
lumen admovet; errores discutit;
mentis aciem ab ignorantiae caligine
purgat; ita Practica de rebus om-
nibus acute cogitare, subtiliter in-
terrogare, prudenter judicare, recte
respondere instituit: res angustas
amplificare, obscuras interrogare,
universas dividere, latentes expli-
care, ambigua videre, quælibet defi-
nire docet; ad beatitudinem viam
monstrat; appetitus, actionesque
componit; animos tranquillat; &
tanquam morum poliendorum he-
roina, omnium morborum peritissi-
ma medica, pharmacis & emplastris
suis, in appetitus & affectuum no-
strorum Nosocomium ingreditur,
ut ulcerosum curat, corruptum au-
ferat, in integrum restituat: sic
Ethica medica est phisi ingluviae;
cancro avaritiæ; pesti lasciviae; hy-
D 5 dropi

dropi inflatæ eruditio[n]is, i[ct]ero invidiæ. Nec tantum expultrix vitiorum, sed etiam indagatrix, conservatrix, & auctrix virtutum est. Docet qui bonum vel malum sit; justitiæ munera, fortitudinem, temperantiam, reliquasque virtutes præscribit, edocet. Demonstrat tanquam Reipublicæ mater, quomodo imperia sint fundanda, fundata conservanda, conservata augenda, & exornanda.

Sed quid agor tempus videor terere, soli faciem accendere, quod in re clarissima exempla tangam; sufficiebat Philosophiam vocasse, Produc[er]icem veritatis, Publicarum Privatarumque rerum custodem, Reginam, Dominam, Instrumentum reliquarum artium: quo Theologus, Jurisconsultus, Medicus, Orator, Poëta, reliquique artium scrutatores carere nequeunt.

Quomodo enim Theologus,
con-

contradicentes convincet, quæstiones de eucharistia, una persona Mediatoris, & duabus in Christo naturis, solvet, & denodabit? physicis similitudinibus res propositas & illustratas, sine ope Philosophiæ tractabit? Veterum si consulas scripta, Justinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Originem, Epiphanium, Chrysostomum, innumerosque Patres, non Theologiæ solum, sed & Philosophiæ operam dedisse reperies.

Jurisprudentia Philosophiæ ita connectitur, ut illa ex Oceano Philosophico, leges rivulorum instar deducat, fundantur enim leges rationi. Hinc est ut teste Imperatore J. C. veram Philosophiam sint affiantes: nam Ethicus & Jurisconsultus codem se referunt, dum quas de virtutibus & vitiis generales ponit regulas Ethicus, eas Jurisconsultus locorum, temporum, negotiorum,

personarum cancello, ad usum suū, percommode circumscribit, & includit: cunque actiones humanæ, pro rerū & circumstantiarum diversitate ita varient, ut omnes casus nullis legum voluminibus coarctari possint, quo acumine ingenii, aut judicij solertiā poterit quis intricatissimos nodos dextere enodare, nisi in Ethicis indagaverit materiam de differentiis actionum humanarum, invito & spontaneo, unde præmiorum & pœnarum diversitas, quam maxime dependet.

Medicinam si intueamur, nonne illa plurima ex Philosophia haurit, & tota ex Physica dependet; Philosophi est naturam & fabricam corporis humani, virtutes plantarum & stirpium; elementa, mixtionem, putredinem, temperamentum, varijsque aëris mutaciones tractare, indagare, observare; sine quibus quid est medicus? quam variis

variis morbi , morborumque varia
præsagia ex motu astrorum depen-
dent, de quibus si ope Astronomiæ
accuratius judicet medicus , tardius
cœmeteria humanis corporibus re-
plete : cur & ipse Hippocrates di-
xit *ἰατρὸν φιλόσοφον ισόγεον εἶναι.*


Oratoria facultas & Poësis ,
quid sine Philosophia sunt ? Ne-
mo potest ornate dicere , dele-
ctare , auditorum animos flectere ,
admirationem concitare , circumfu-
sam multitudinem stupore defige-
re , qui Philosophiæ ignarus fuerit :
ex ea enim similitudines , rationes ,
descriptions petuntur . Quoties
Poëtæ rerum Physicarum naturas
describunt , quoties moralia tra-
stant , quoties sub mysticis narra-
tionibus & fictionibus , mystica
quædam sacra , ex intimis Philo-
sophiæ penetralibus de promta , oc-
cultant : Quoties picti hominum
mores in Philosophorum libris le-


guntur, quæ in Oratoribus & Poëtis
vivis exemplis perspiciuntur.

O sacrum & admirabile Dei mu-
nus! ô Cœleste donum! Philosophia;
quæ hominem bene ratiocinari, fuse
disputare, methodice omnia agere
docet; quæ nos rectissime instituit;
res familiares, forenses, militares,
Publicas & Privatas, sapienter re-
gendas monet; qua instructi se ipsos
optime norunt, sapientissime re-
gunt, felicissime vivunt: Unde Se-
natores gravissimi, Legati pruden-
tissimi, Duces magnanimi, Princi-
pes clarissimi effulserunt. Quæ So-
lones, Aristides, Licurgos, Numas
Pompilios, Catones, Metellos, Cæ-
saresque innumerabiles produxit;
sanctissimas leges condidit, Juris pe-
ritos effecit, Patres conscriptos
constituit; Judices elegit, Duces
creavit. Tu alas tuas expandis per
omnes disciplinas, cuius usum nihil
fugit, cum directrix omnium disci-
plinarum,

plinarum, satrix virtutum, actionum
magistra, affectionum domina, na-
turæ ornaumentum, flos divinitatis,
animi anima, manus Theologiæ,
fons Jurisprudentiæ, caput Medici-
næ merito habearis. Per te omnia
animalia, superamus; quamvis non
insit nobis elephantum magnitudo,
leonus impetus, taurorum robur,
cervorum velocitas, piscium in na-
tando agilitas, avium in volando
celeritas, canum in odorando sag-
citas: tua enim possessio omnia hæc
plus quam supplet; tuæ præstantiæ
cedunt honores, divitiæ, voluptates,
cedit & tibi ipsa vita.

D I X I.





2002/190

62140

A0XXX

40215
ESR

